beneficiis immoderatus gaudeat. audiat quod scriptum est.
Cum feceritis omnia que precepta sunt nobis dicite. Servi in-
utiles sumus. quod debuimus facere fecimus. Ne largitatem
tristicia corrumpat. audiat quod scriptum est. Hylarem
datorem diligit deus. Ne ex impenso munere transitoria
laudis querant. audiat quod scriptum est. Nesciat sinistra
tua quid faciat dextera tua. idest pie dispensationi nequaquam
se gloria vite presentis admisceat. sed opus rectitudinis
appetitio ignoret favoris. Ne impense gratie vicissitudinem
requirant. audiant quod scriptum est. Cum facis prandium aut
cenam. noli vocare amicos tuos. neque fratres tuos neque
cognatos. neque vicinos divites. ne forte et ipsi te re-
invitent. et fiat tibi retributio. sed cum facis convivium. voca
pauperes. debiles. claudos. cecos. et beatus eris. quia non
habent retribuere tibi. Ne que prebenda sunt citius sero pre-
beant. audiant quod scriptum est. Ne dicas amico tuo
vade et revertere. et cras dabo tibi. cum statim possis dare.
Ne sub obtentu largitatis ea que possident inutiliter spargant.
audiant quod scriptum est. Sudet elemosina in manu tua. Ne
cum multa necesse sit pauca largiantur. audiant quod scriptum est.
Qui parce seminat parce et metet. Ne cum pauca oporteat plu-
rima prebeant. et ipsi postmodum minus inopiam tolerantes
ad impatientiam erumpant. audiant quod scriptum est. Non
ut aliis sit remissio. vobis autem tribulatio. sed ex equa-
litate vestra habundantia illorum inopiam suppleat. ut
et illorum habundantia vestre inopie sit supplementum.
Cum enim dantis mens ferre inopiam nescit. si multa sibi
subtrahit. occasionem contra se impatientie exquirit.
Prius namque preparandus est pacientie animus. et tunc aut
multa sunt aut cuncta largienda. ne dum minus equanimiter
inopia irruens fertur. et premisse largitatis merces

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2284/0076
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt